

36) Transmissio ab una ad alteram Eccles.

Vd. *Missae* (in alteri, transl.)

Urbanus Papa VIII. — *Ad futuram rei memor.*

Cum, sicut accepimus, quamplures eleemosynae pro missis in Ecclesia Monasterii S. Gregorii de Urbe Congregationis Camaldulen. pro animarum Christifidelium defunctorum refrigerio et salute celebrandis, eidem Ecclesiae in dies erogentur, omnes vero missae hujusmodi ob nimiam earum quantitatem in dicta Ecclesia celebrari nequeant,

Nos, qui omnium salutis paternae charitate intendimus, pia Christifidelium intentioni ac desiderio, quantum nobis ex alto conceditur, consulere volentes, motu proprio et ex certa scientia ac matura deliberatione nostris deque apostolicae potestatis plenitudine dilecto filio moderno et pro tempore existenti dicti Monasterii Priori in virtute sanctae obedientiae per praesentes praecipimus et mandamus, ut satisfactis prius oneribus perpetuis Missarum sive Anniversariorum, quibus Monasterium hujusmodi obnoxium est, pro satisfactione eleemosynarum manualium in eadem Ecclesia de caetero ad effectum praedictum elargiendarum sive erogandarum, majorem, quam possit, diligentiam adhibeat, ut debito eleemosynarum hujusmodi numero in Ecclesia praedicta satisfiat.

Pro illis autem, quibus satisfacere non poterit, in Urbe per sacerdotes saeculares vel cujusvis ordinis regulares, de Superiorum suorum licentia, alteri Missarum celebrationis oneri non obnoxios, vel eas Monasteriis Congregationis hujusmodi, ut in eorum Ecclesiis celebrantur, distribuendo satisfieri omnino curet, quae Monasteria nulli Missarum celebrationi, quae distributionis vigore praesentium faciendae

exequutionem non impediunt, sint obligata. Diciturque Prior sexto quoque mense notulam peractae distributionis ac satisfactionis dilecto filio nostro in alma Urbe Vicario in spiritualibus generali vel ab eo specialiter deputato consignet.

Quodque de caetero eleemosynae pro Missis in eadem Ecclesia S. Gregorii celebrandis, quae infra modicum tempus ibi celebrari non poterunt, illic minime recipiantur, nisi Sacrista vel alius minister Missarum numero describendo, atque oblationibus recipiendis praefectus prius admoneat singulos, qui eleemosynas offerunt, de tempore intra quod Missae ab iis requisitae probabiliter celebrari poterunt.

Praeterea, quod pecuniae, quae ad praesens in deposito et eleemosynis Missarum conflatae reperiuntur, per alias ejusdem Congregationis seu almae Urbis nostrae Ecclesias arbitrio Abbatis generalis ejusdem Congregationis et dicti Ordinis Prioris, vel Sacerdotibus, nulli pariter alteri celebrationis Missarum oneri, ut praefertur, obnoxii, praevio consensu et approbatione ejusdem Vicarii nostri vel ejus deputati, quamprimum distribuuntur, ad hoc ut totidem Missae pro fidelibus defunctis quam primum celebrentur et infra sex menses proximos eidem Vicario nostro vel ejus deputato notula tam peractae distributionis quam celebrationis Missarum per eundem Priorem consignetur.

Insuper Ecclesiis seu Altaribus, in quibus Missae pro eleemosynis dictae Ecclesiae S. Gregorii elargitis, ut supra, celebrantur, easdem Indulgentias, quae ipsi Ecclesiae S. Gregorii a Sede Apostolica concessae reperiuntur, auctoritate Nobis a Domino tradita ac de omnipotentis Dei misericordia ac Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, earumdem tenore praesentium concedimus.

Decernentes praesentes literas et in eis contenta quaecumque semper et perpetuo valida, firma et efficacia esse et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac per dictum Priorem aliosque, ad quos quomodolibet spectat et in futurum pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; sicque et non alias per quocumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ubique judicari et definiri debere ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, dictae Congregationis illiusque Monasteriorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die nona decembris 1626. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

(Anal. J. P. 1864. p. 969.)

Ex constit. Ffr. Ord. B. V. M. de monte Carmelo disalc. Cong. Hispaniae.

Pius PP. VI.

Cum ob saecularium devotionem major accesserit numerus missarum, quam in eo conventu persolvi possit, prior praecedente provincialis consensu in eos conventus distribuuntur, ubi citius persolvantur, dummodo benefactorum mens non obstet; alioquin ultra vires omnino non recipiantur, sub poena gravis culpae.

Die 14. Mart. 1786.

(Bull. r. Contin. t. VII. p. 505. Ed. Romae.)

Si de Missis adventitiis sermo sit, Eleemosynae recipi non debent, nisi

intra modicum tempus, scilicet unius mensis, celebrare possint, seu pios offerentes admonendos esse: tot Missas celebratum iri, quot re ipsa celebrari posse contingeret, eos vero, pro quibus celebrari nequissent Missae, quas sibi Eleemosynam offerentes deposcebant, futuros participes fructus Missarum, quae in Ecclesia pro Benefactoribus in genere offeruntur; vel saltem id actum iri, ut Missae per eos optatae in alia Ecclesia juxta eorum intentionem celebrentur, idque publico, patentique loco appensa Tabella omnibus nunciaretur.

Veluti totidem verbis legere est in Synod. dioeces. l. 3. c. ult. §. 11. ubi in §§. seqq. Resolutiones Sac. Congregationis transcribuntur.

(Ex resol. S. C. C. 9. Apr. 1683. Anagnina.)

STOLA.

1) In Administ. Sacramentorum.

Vd.: *Paroch.* (adm. Sacram.); *Canonici* (adm. Sacram.); *Stola parochorum etc.* (decr. n. 4550 nota.); *Stola* (in Sacram. Poenitent.); *Stola* (in extrema unctione); *Communio Infirmorum*; *Visitatio* (de Poenit.; Olei infirmorum.)

Ad dub.: An Hebdomadarius possit uti stola in canendis divinis Officiis, quamvis Archipresbyter ejusdem Ecclesiae, iis assistens, illam deferre consueverit, S. C. resp.: Neutri licere deferre stolam, quae tantum in Sacramentorum administratione et confectione adhiberi debet. n. 1915 die 7. Sept. 1658.

DECRETUM GENERALE.

Stolam non esse adhibendam in canendis divinis Officiis sed tantum in collatione et confectione Sacramentorum, ideoque consuetudinem in contrarium esse abusum per locorum Ordinarios omnino eliminandum.

N. 4524. die 7. Sept. 1816.

In Parochiis ruralibus, ubi longum faciendum est iter, plerumque portatur

SSmum ad aegrotos eisque administratur cum stola super vestem communem absque cotta sive superpelliceo. Quaeritur propterea:

An praxis illa, ubi invaluit, et Ordinarii locorum non contradicunt, retineri possit?

S. C. resp.: Negative et eliminata consuetudine servetur Ritualis rom. praescriptum. Num. 4623. VI. 1. die 16. Decb. 1826.

Nota Gardell. ad hoc decretum:

Si omnia, quae Ritualis Romani Rubricae servanda jubent, adamussim tenenda sunt, multo magis ab iisdem non est recedendum, quae respiciunt Sacramentorum administrationem. Altera autem ex generalibus regulis est sub titulo: *de iis, quae in Sacramentorum administratione generaliter servanda sunt*, altera est, quae sequitur: *In omni Sacramentorum administratione Superpelliceo sit indutus* (Parochus aut Sacerdos quilibet, qui administrat) *et desuper Stola ejus coloris, quem Sacramenti ritus exposcit*. Quae regula exceptionem dumtaxat patitur in Sacramento Poenitentiae ministrando, quia facile contingere potest, ut, aut pro re nata tempus non suppetat sumendi Superpelliceum et Stolam, vel alia intercedat rationabilis accidentalis causa dispensationis et excusationis. Sed de hac generalis regulae exceptione quaerendum modo non est, quum quaestio omnis in eo sit: an retineri possit praxis, ubi invaluit, deferendi ad infirmos, eisque administrandi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum cum Stola supra Vestem communem sine Superpelliceo. Ad hunc reprobandum abusum satis esset regula generalis, cujus supra mentio facta est: verum tamen alia est Rubrica specialis *de Communione ministranda infirmis*, in qua sic legitur: *Deferri autem debet hoc sanctum Sacramen-*

tum ab Ecclesia ad privatas aegrotantium domos decenti habitu superposito, mundo velamine, manifeste, atque honorifice etc. Decentia autem haec quoad habitum non ad Vestis cujuscumque usualis et communis minorem vel majorem pulchritudinem, elegantiam, decus referri debet, sed ad illam, quae ecclesiasticorum indumentorum propria est, quaeque Sacramentorum administrationem decet, eique ex praefata generali regula convenit, necnon sacro Ministro Sacramentum deferenti. Nova non est hujusmodi Vestium differentia, imo antiquissima nec repudianda illorum sententia est, qui censent in ipsis Ecclesiae primordiis apostolicisque temporibus duplicem fuisse Vestem, aliam scilicet ad communem usum, aliam ad ministerium et officium. Sed modo non interest de hoc disputare. Vel Vestium distinctio fere ab Ecclesiae exordio repetenda sit vel aliquando post fuerit inducta, certum tamen est, eandem esse multa antiquitate praestantem. Sed qualis esse debeat decens hic habitus infra a Rubrica declaratur:

Ubi vero convenerint, qui Eucharistiam comitaturi sunt, Sacerdos indutus Superpelliceo et Stola et, si haberi potest, Pluviali albi coloris, Acolythis seu Clericis aut etiam Presbyteris (si locus ferat) Superpelliceo pariter indutis committatus etc. Superpelliceum igitur et Stola in praeepto sunt, Pluviale vero in arbitrio et more. Neque sit quispiam, qui aucupando verba et eorumdem pervertendo sensum interposita illa dictione (*si locus ferat*) abutatur et ad Sacerdotem Sacramentum deferentem referat id, quod respicit dumtaxat Pluviale, Acolythis, Clericos aut etiam Presbyteros comitantes, quos Rubrica exoptaret (insinuando non praecipiendo) Superpelliceo indutos incedere. Quod si ecclesiastico hoc indumento optat Ru-

brica indutos esse Sacerdotes aut Clericos comitantes, suspicari possumus, fas esse consuetudinis praetextu non adhiberi Superpelliceum a Sacerdote Sacramentum deferente, quamvis praecipitiva sit prima Rubricae pars, quae eundem respicit, directiva vero et facultativa pars altera, quae ad Sacerdotes et Clericos comitantes refertur? Praeterea erit forte nonnemo, qui reponat, non haec omnia semper et necessario esse in praeepto et excipiendum esse casum, in quo locus fiat alicui indulgentiae non sumendi Superpelliceum, si nempe longius aut difficilius iter obeundum sit, ut in dubio proponitur. Errat quammaxime qui ita opinatur; quippe casum hunc Rubrica non praeterit, imo modum in eo servandum praescribit. En verba: *Quod si longius aut difficilius iter obeundum sit et fortasse etiam equitandum, necesse erit fas, in quo Sacramentum defertur, bursa includere et ita ad pectus alligare atque obstringere, ut neque decidere neque Pyxide excuti Sacramentum queat.* Ex quibus Rubricae verbis colligitur: modum dumtaxat praescribi, quo Sacramentum decenter deferatur, ne vel decidat vel Pyxis excutatur: quoad Superpelliceum et Stolam nulla fit limitatio aut exceptio. Quod si quando longius est iter et difficilius, dispensandum Parochum voluisset Rubrica a delatione Superpellicei et Stolae, hic erat locus apposite id adnotandi. Hoc notatum non video: igitur in hoc contemplato casu per istam Rubricae declarationem nihil detractum est alteri supra relatae, quae jubet Superpelliceum et Stolam assumendam a Parocho vel quoque Sacerdote Viaticum deferente et ministrante. Si mei ita ferret Instituti ratio, longe plura addere hic possem, sed brevitati consulturus, quae dixi, satis esse arbitror, ut evincam S. C. proposito dubio respondendo

negative et eliminata consuetudine servetur Ritualis Romani praescriptum, eidem Rubricae adhaesisse ejusdemque sensum declarasse.

Nullius Farfen.

Sacrorum Rituum Congregationi humillime exposuit Sacerdos Angelus Fiordiponte Archipresbyter et Parochus Collegiatae Ecclesiae Sancti Laurentii et Sanctae Mariae Novae Oppidi vulgo Toffia Nullius Farfen., ex antiquo more Archipresbyteros memoratae Ecclesiae consuevisse in omnibus ecclesiasticis Functionibus, nimirum in Choro, in Processionibus, in administratione Sacramentorum uti Stola, quam quidem consuetudinem ad haec usque tempora hodiernus Parochus servavit. Verum quum in praesentiarum ab hujusmodi pacifica possessione deturbetur, optimum duxit nihil immutare, inconsulta hac Sancta Apostolica Sede; ac propterea a Sacra ipsa Congregatione enixe petiit declarari: an sibi liceat uti Stola in omnibus ecclesiasticis Functionibus, quemadmodum semper servatum est, vel an debeat Stolam assumere tantum in administratione Sacramentorum?

Et Sacra eadem Congregatio sub infrascripta die ad Vaticanum in ordinario Coetu coadunata, infrascripto Secretario referente, omnibus mature respondendum censuit:

„Serventur Decreta, nimirum Stolam adhibendam solummodo in Sacramentorum administratione.“

Die 26. Aprilis 1834. n. 4734.

(2 Adorantium SSmum.

Vd.s Instructio Clem. §. IX. n. 8. etc.; Expositio SSmi (adorantes); Stola in processionibus (decr. n. 3109.)

3) In Aspersione aquae bened.

Assumenda est stola, dum in dominicis aspersio aquae bened. fit sine

Pluviali. N. 5102 ad 4 die 11. Septembris 1847.

Vd.: *Stola Sacerdotis* (quo modo etc.); *Pluviale in aspers.* etc.

4) Ad bened. cum SSmo.

Vd.: *Pluviale in process. SSmi; Benedictio SS. Sacramenti* (Bened. habitus.)

Canonici Metropol. Urbini non possunt benedictionem SSmi populo dare cum simplici stola super habitu canonicali. N. 3549 ad 1 die 23. Januarii 1700.

Ad dub.: Utrum Episcopus tolerare possit quod benedictionem cum SSmo Sacramento imperliantur Canonici cum simplici stola super Cappam?

Emmi et Rmi P.... respondendum duxerunt: „Negative.“

Atque ita S. R. C. rescribere rata est propositaque dubia declarare. N. 5228 ad 4. Die 29. Novembris 1856.

5) In benedictione Monialium.

Gratianopolitana.

Rmo D. Episcopo Gratianopolitano. Rme D. uti frater. Habito recursu ad S. Rituum Congregationem pro parte monialium ordinis Carthusianorum supplicantium pro concessione stolae ab Amplitudine tua paucis abhinc mensibus denegatae, quam caeteri Episcopi in die consecrationis seu benedictionis ipsarum monialium ultra alias caeremonias in pontificali romano praescriptas eis semper dederunt absque ulla facultate ex deductis in annexo exemplari supplicis libelli. Et Emmi PP. eidem Sacrae Congregationi praepositi censuerunt super expositis non esse quidquam decernendum nisi prius consulta Amplitudine tua, cui mandarunt scribi pro informatione. Ne gravetur itaque quam citius eandem transmittere diuque Amplitudo tua

felix incolumisque vivat. Romae die 24. Januarii 1682.

(Anal. J. P. 1865 p. 1240. n. 2190.)

6) In Choro.

Stolam et Pluviale in choro sumere Dignitatibus non licuisse; itaque omnia in Sacristia eadem induenda esse. N. 2127 die 3. Septembris 1661.

Ad dub.: Cum non obstantibus S. R. C. decretis pluries editis, quibus cavebatur, ne Hebdomadarii, Archipresbyteri alique uti possent stola in canendis divinis officiis sed tantum in confectione et administratione Sacramentorum, eidem S. C. innotuerit hujusmodi abusus et viguisse et vigere penes Archipresbyteros et parochos abbatiae nullius Farvensis?

S. C. resp.: Stolam non esse adhibendam, praeterquam in collatione et confectione Sacramentorum, ideoque consuetudinem in contrarium esse ab usum per locorum Ordinarios omnino eliminandum. Die 7. Septembris 1816.

Ad dub.: Num Celebrans, ubi non est obligatio Chori, in Vesp. festivis vel votivis possit Stolam induere, quum sit veluti praecminentiae signum in Choro, maxime in Ecclesiis ruralibus? S. eadem C.... respondendum censuit: „Negative juxta alias decreta.“ Atque ita rescribere rata est et declarare. N. 5111 ad 5. Die 11. Septembris 1847.

Ad dub.: Utrum teneatur celebrans assumere Stolam et Pluviale pro recitandis precibus in fine Nocturni, quum ob rationabilem causam Laudes recitari non possunt?

Responsum prodiit:

„Non teneri.“

Atque ita S. C. rescribere rata est propositaque dubia declarare. N. 5208. Die 12. Augusti 1854.

Ad dub.: Num Celebrans, ubi non est obligatio, in Vesp. festivis et votivis possit stolam induere, quum sit veluti praecminentiae signum, in choro, maxime in Ecclesiis ruralibus?

S. C. resp.: Negative juxta alias decreta. Die 11. Septembris 1847 in *Veronen.* ad 5.

Immo nuperrime S. R. C. declaravit, eliminandam esse *immemorabilem consuetudinem*, quod in Vesperis festivis et matutinis tenebrarum Celebrans utatur stola. Die 7. Septembris 1850. in *Veron.* ad 9.

Ad dub.: An decreta prohibentia, delationem stolae ab hebdomadario assistente horis canonicis comprehendant etiam Tertiam cantatam solemniter cum ministris et Vesperas solennes?

S. C. resp.: Serventur decreta et praesertim generale novissimum diei 7. Septembris 1816, in quo comprehenditur etiam casus expositus.

Die 16. Decembris 1826 ad 3. In *Volaterana.* Vd. p. 255.

Ad dub.: An in Ecclesia parochiali Cartriniani Alexanen. dioecesis hebdomadarius possit uti stola in canendis divinis officiis, quamvis Archipresbyter ejusdem Ecclesiae iis assistens illam deferre consueverit?

S. C. resp.: Neutri licere deferre stolam, quae tantum in administratione Sacramentorum et confectione adhiberi debet. Die 7. Decembris 1658.

Vd.: *Stola* (in admin. Sacram.; in Vesperis.)

Bituntina.

Beatissimo Padre: Il Sacerdote Carlantonio Romanelli Arcidiacono prima Dignita, e Vicario Capidolare della Chiesa Cattedrale di Bitonto nel Regno di Napoli divotamente espone esser costume inveterato in quella Cattedrale, che il Celebrante per intuonar

l'Officio in Coro indosasse la Stola, e la ritenesse durante la recita del medesimo. Questo sistema, al quale mai niun Vescovo si e opposto, viene ora contrastato dall' attuale Prefetto delle sacre Ceremonie. E come che all' intiero Capitolo dispiace questa novita, cosi anche l'Oratore, in nome di quello ricorre, alla Santita Vostra, ed umilmente implora che si degni permettere, onde si prosequer l'anzidetto inveterato costume. Che della grazia ec.

Sacra autem Rituum Congregatio in ordinariis Comitibus ad Vaticanum sub infrascripta die habitis, ad relationem infrascripti Secretarii, re mature diligenterque examinata, rescribendum censuit: Negative et servetur decretum in Alexanen. die 7. Septembris 1658 et in una Dalmatarum diei 7. Augusti 1663. Atque ita recipit ac servari mandavit die 16. Martii 1844. N. 4698.

Vd.: *Stola in adm. Sacrament.* (decr. num. 1915) *Hebdomadarius* (stola); *Stola (parochor.* decr. n. 4550 nota); *Stola in vespis.*

7) Clericorum et Episcoporum in antiquis temporibus.

Vd.: *Stola Papae.*

8) Color.

a) In process. et ador. SSmi.

Vd.: *Stola in process.* (decr. n. 3109.)

b) In Communione distribuenda.

Vd.: *Communio* (distribuens).

Ad dub.: An Stola pro ministranda SSma Eucharistia extra Missam semper esse debeat coloris officio illius diei convenientis, ut praescribit Rituale romanum vel potius debeat alba prout valde conveniens Sacramento Eucharistiae, ut multi censent Doctores?

Emmi itaque ac Rmi P. . . respondendum censuerunt:

„Juxta Ritualis Romani Rubricam debet esse coloris Officio illius diei convenientis.“

Atque ita rescripserunt ac servandum esse mandarunt. N. 4777 ad 13. Die 12. Martii 1836.

Vd. *Stola Sacerdotis communicantis.*

9) In Concione.

Vd.: *Concio* (Dignit. et Canon.); *Instructio Clem.* §. IX. n. 11.; §. XXXII. 5. 6.; *Concio pro Defunctis* (habitus etc.)

10) In Concione cor. SSmo.

Vd. *Instructio Clem.* §. IX. n. 11.; §. XXXII. n. 5. 6.; *Stola excommunicantis.*

11) Confessarii.

Casertana.

Episcopus Casertanus praecepit confessariis suae dioecesis ne in posterum confessiones audiant, nisi cum superpelliceo et stola; et ut hoc decretum suum sortiatur effectum, petiit ab hac Sacra Congregatione auctoritatem astringendi etiam regulares saltem cum stola. Et Sacra Congregatio respondit: posse episcopum id facere auctoritate hujus Congregationis.

Die 28 Augusti 1628.

(Anal. J. P. 1863. p. 206.)

Vd. *Stola in poenit. Sacr. administr.*

12) In Delatione SS. Viatici.

Vd. *SS. Viaticum* (Modus etc.); *SS. Sacram. Euch.* (delatio ad infirmos.)

13) Deferenda supra cappam Canonico-
Pius PP. VII. ad Canonicos Cathedr. Placentinae.

Nos ipsos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes supplicationibus hujusmodi inclinati

nunc et pro tempore in perpetuum existentibus Dignitatibus et Canonicis memoratae Cathedralis Placentinae, ut ipsi missam cum cantu celebrantes, vespers et divina officia in habitu sacerdotali solemniter persolventes atque alias quascumque presbyterales functiones eodem sacerdotali habitu induti peragentes palmatoria in dicta civitate et dioecesi dumtaxat uti, necnon sacram concionem e pulpito tam in cathedrali quam in reliquis ipsius civitatis et dioecesis ecclesiis habentes aut novo sacerdoti primum celebranti adistentes aut sacramenta administrantes stolam supra cappam gestare licite valeant concedimus.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 16. Februarii 1819.

14) Num Diaconus stol. accipiat, quando sine planeta plicata ministrat?

Vd. *Planeta plicata* (quando et a quo etc., decr. 2542.; pro dalmatica etc., decr. 11. Sept. 1847.)

15) Diaconi in s. communione sumenda.

Vd. *Praeses* (c. VI.)

16) Diaconus olim defereb. stolam.

Vd. *Stola Papae.*

17) Episcopi defuncti.

Vd. *Paramenta Episcopi*; *Sacerd. def.*; *Sepultura Sacerdotis def.*

18) Episcopi visitantis.

Vd. *Clausura Monial.* (Ingress. Ep. occas. visit., decr. *Arimin.*); *Visitat. Monial. claustr.* (ab Episcopo etc. decr. *Conversana* n. 1.)

19) In Exposit. SSmi.

Vd. *Exposit. SSmi* (ministri); *Stola in porrig. SSmo.*

20) In Funeribus.

Cf. *Sepultura*; *Parochus*; *Stola paroch.*; *Stola in aliis processionib.* (decr. n. 4607.) *Processio funebr.* (praeced., decr. n. 4673. Via per aliam paroch.

Ad dubium: An attendenda sit consuetudo quod Decanus, qui habet curam Cathedralis, in deducendis funeribus stolam assumat in *domo defuncti* et mox exiens deponat illam et *sine stola* praecedat? S. C. resp.: Servari Rituale et contrariam consuetudinem uti abusum rejici. n. 1444. die 21. Febr. 1643.

In processione funebri, ubi cadaver defertur, parochum deferre debere stolam, etiam praesente Capitulo cath. tanquam suae in cadaver jurisdictionis signum, quemadmodum Romae servetur. n. 35. die 2. Dec. 1592; n. 3093. ad 3. die 15. Sept. 1685. Confessario montalium s. Clarae, nullius Dioecesis, provinciae Taurin., non competere usum stolae, sed neque officium facere super cadaveribus, quae in Ecclesia Monialium humanda sunt. n. 2162. die 1. Apr. 1662.

Jus deferendi stolam in associandis cadaveribus sepeliendis in Ecclesiis Regularium spectat ad curatum cadaveris et non ad unum ex Regularibus, ad quorum Ecclesiam defertur. Num. 2309. ad 1. die 24. Jan. 1665.

Guardiano Conventus s. Francisci Fontis Castelli non licere, invitis Curatis saecularibus, deferre per eorum parochias superpelliceum et stolam; et e converso parochos saeculares, stante immemor. consuetudine posse invitis Regularibus, in ipsorum Ecclesiis cum superpelliceo et stola simpliciter assistere Officio, quod ab iisdem Regularibus decantatur, cadaveribus praesentibus. n. 2348 die 21. Nov. 1665.

Non posse prohiberi Parocho Camerani, quin ingrediatur cum stola et

cotta in Ecclesiam fratrum s. Francisci ejusdem loci in associandis cadaveribus ad dictam Ecclesiam. n. 2353. die 13. Febr. 1663.

Parocho Terrae Vissi licet deferre stolam in Ecclesiis Regularium occasione cadaverum, dummodo non peragat Officium. n. 3630. die 1. Julii 1702.

Ad dubium: An Rectores sive Sacristae aliive Capellani Confraternitatum, quando non incedunt cum suis Confraternitatibus, sed seorsim ab illis, possint in funeribus deferre stolam? S. C. resp.: *Negative.* n. 2910. ad 3. die 27. Jan. 1680.

In funeribus Praefectus sive Capellanus Confraternitatis saecularis s. Mariae Pedemontis non potest deferre stolam. n. 3758. ad 2. die 22. Jan. 1707.

Ad dubium: An Capellanus Confraternitatis SS. Conceptionis etiam praesente parocho in processionibus funeribus possit deferre stolam? S. C. resp.: *Negative* extra oratorium Confraternitatis.

Die 20. Nov. 1762.

In associatione cadaverum teneri Capellanum Societatis *del consorzio* Terrae Massae Fiscaiae incedere cum Societate, adhibita stola extra Ecclesiam tantum. n. 4460. die 23. Aug. 1794.

Parochus Cathedralis Andrien., associans *solus* cadavera absque capitulo, non potest Ecclesiam regul. s. Dominici ingredi cum stola et superpelliceo. n. 3828. ad 7. die 19. Julii 1710.

In asportatione parvulor. ante septennium ad sepeliendum in eorum Ecclesiis non licet Patribus Dominicanis Andrien. deferre stolam. n. 3828. ad 9. die 19. Julii 1710.

Non licet Parocho Cathedr. Forolivii *invitato ad associationem* cadaveris

sepeliendi in *Ecclesia paroch. defuncti* deferre stolam. n. 3866. die 21. Apr. 1714.

Ad dubium: An in eadem associatione possit ejusdem Ecclesiae Sacrista seu Capellanus cum stola una cum Parocho defuncti saltem ad sinistram incedere?

Et S. eadem R. C., utraque partem in scriptis quam in voce informantem audita visisque juribus hinc inde deductis, inhaerendo Decretis alias in similibus editis et signanter sub die 9. Augusti 1681. favore ejusdem Ecclesiae S. Anastasiae respondendum censuit: „Affirmative.“

Die 18. Aug. 1714.

Decretum anni 1681 est, ut sequitur: Instantibus Capitulo et Canonicis vetustissimae Collegiatae Ecclesiae S. Anastasiae de Urbe, S. R. C. inhaerendo Decretis alias editis declaravit: „In associatione cadaverum, quae humana deferuntur ad eandem Ecclesiam, ipsius Crucem erigendam esse, et ejusdem Sacristam seu Capellanum cum stola incedere, et in ipsa Ecclesia circa praedieta cadavera Officium et absolutionis caeremoniam peragere debere.“ Et ita servari mandavit. n. 3871. ad 2. die 9. Aug. 1681.

Interveniente Capitulo Cathedralis Tiburis pro simplicis funeris associatione, absque ullo titulo parochialitatis non spectat ad primam Dignitatem stolam nigram deferre sed potius private ad solum parochum domicilii defuncti. n. 4484. ad 1. die 22. Jan. 1803.; 11. Sept. 1802.

Occasione tumulationis cadaverum de *parochia* explendae in Ecclesia Societatis Mortis intra limites parochiae parochus perventus ad ostium ejusdem Ecclesiae non tenetur deponere stolam. N. 3911. ad 5. die 9. Julii 1718; sed ipsimet Capellani incedentes cum Confratribus

non possunt associare cadavera cum stola praesente parocho. *Ibid.* ad 6.

Ad dubium: An Canonicis capitulariter non intervenientibus gestatio stolae et praecedentia in associatione et absolutione cadaverum de Parochia Cathedralis Ariminensium, tumulandorum in dicta vel in alia Ecclesia, debeatur alicui ex Mansionariis collegialiter accedentibus vel potius Vicario Curato amovibili ejusdem Cathedralis?

S. C. resp.: Negative ad primam, affirmative ad secundam partem et amplius. n. 4046. die 5. Maji 1736.

Parocho defuncti et respective parochi Ecclesiae tumulantis non debetur in associatione cadaverum praecedentia supra Mansionarios cathedralis, quatenus interveniat capitulum cathedr. n. 4107. die 21. Jan. 1741.

Non interveniente Capitulo in associandis funeribus parochorum Collegiatae (Terrae Mathelicae Dioec. Camerin.) ad Ecclesiam s. Antonii, istius parochus stolam induere et crucem elevare potest ac praecedentiam habere debet a parocho Collegiatae, etiam intra limites parochiae ejusdem Collegiatae et non inter limites tantum ipsius parochiae s. Antonii; et idem viceversa. n. 4240. ad 6. et 7. die 16. Febr. 1754. Etiam in concursu Capituli Cathedralis Parochum defuncti deferre posse stolam. n. 850. ad 3. die 16. Febr. 1630.

Archipresbyteri associantes una cum Capitulo Cath. cadaver defuncti in propria parochia tumulandum in Ecclesia Cathedr. deferre valent stolam tam intra quam extra limites propriae parochiae et in eadem Cathedr. praesentibus Episcopo vel Capitulo, dummodo Officium in Cathedr. non peragant super cadaver. n. 4262. ad 5. die 18. Dec. 1756.

In funere defuncti alterius parochiae interveniente Capitulo licet primae Dignitati Cathedr. et ea absente alteri

de Capitulo in ordine digniori incedere cum Pluviali et stola coloris nigri. n. 4270 ad 5. die 16. Julii 1757.

Ad dubium: An omnibus parochis sive potius parocho tumulanti tantum, absente capitulo, competat jus stolae occasione, qua funus ducitur ad Cathedralis in transitu per parochiam Cathedr. et in eadem Cathedrali?

S. C. resp.: Usus stolae competere parocho tumulanti tantum. n. 4315. ad 2. die 7. Maji 1763.

Ad dubium: An Canonico funebrem functionem conficiente induto Pluviali et stola, eadem stola deferri possit a parochis aliis sive a parocho defuncti?

S. C. resp.: Negative quoad omnes, juxta solitum. n. 4315. ad 4. die 7. Maji 1763.

Assumenda non est stola ad private dicendum Responsorium pro Defunctis. n. 5102. ad 3. die 11. Sept. 1847.

Ad dubium: An in associatione Mansionarii Curati vel alii pro iis Stolam deferre debeant, quam non gestant?

Et S. eadem C. rescribendum censuit: Affirmative ad formam Ritualis, sed unus tantum, qui vices Parochi gerat. Atque ita rescribere rata est et respondere. n. 5107. ad 2. Die 11. Sept. 1847.

Ad dubium: Utrum Parochus pro deferendo cadavere in Ecclesiam possit accipere Stolam et Pluviale nigri coloris?

Rescriptum prodiit: „Posse“.

Atque ita S. C. rescribere rata est propositaque dubia declarare.

N. 5208. ad 4. Die 12. Aug. 1854.

Asculana.

Monachi Olivetani civitatis Asculi

supplicarunt responderi, licere eorum parocho deferre stolam per parochiam defuncti sepeliendi in ipsorum Ecclesia; et Sacra Congregatio respondit: licere.

Die 30. Septembris 1628.

(Anal. J. P. 1863. p. 207.)

Senogallien.

Contradicente altero ex Parochis loci montis Novi in Dioecesi Senogallien. usum Stolae deferendae a Capellano Confraternitatis Vexilliariorum ejusdem loci, S. R. C. enixas dederunt preces Priores ipsius Sodalitatis pro consuetudinis mantentione, atque insuper declaratione utrum praedictus Capellanus in publicis Processionibus, Cadaverum associatione aliisque functionibus, quibus intervenit Confraternitas, Stola e collo pendente uti possit?

Emmi. ac Rmmi. P. S. tuendis Ritibus praepositi in ordinariis Comitibus ad Quirinale habitis, rescribendum censuerunt: „Juxta alia decreta pro gratia.“ N. 4796. Die 27. Aug. 1836.

21) Num Jurisdictionis signum est?

Vd. *Stola Parochor.* (decr. 4550. nota; 4615. nota); *Instr. Clem.* §. IX. n. 9. 10.

22) Latior.

Ad dubium: An Archipresbytero Cathedr. Nazzarenae permittendus sit usus stolae latioris, quam vocant arcem?

S. C. resp.: *Negative.* n. 3579. ad 3. die 26. Apr. 1701.

Ad dubium: Utrum Stola latior, qua utitur Diaconus, dum tempore Adventus et Quadragesimae deponit planetam plicatam, debeat habere intextas tres Cruces, sicuti habentur in Stola communi?